

Bibliothèque numérique

medic@

Duvrac, Louis - candidat / Gasnier,
Thomas René - président. - An solida
agunt ut agantur ?

1722.

***Paris : Typis J. Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2326 n°23***



QUÆSTIO MEDICA,

23.

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis

19 Novembris 1722.

M. THOMA-RENATO GASNIER,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An solida agunt ut agantur?

I.

MAXIMA Naturæ potentia, micant ubique & splendent ejusdem miracula, quid tamen reverà sit & in quo consistat sua virtus nondum fuit aperte declaratum. Omnes de eâ non sentiunt pariter. Quænam sit in plantis aut aliis corporibus inanimatis, parvi refert inquirere, nec multi cognoscere. Natura in corporibus animatis est insitus fibrarum motus à fluidorum & solidorum responso & à partium mechanismo pendens: vis illa premit, dirigit, impellit liquida, non eodem nîsûs & velocitatis tenore in omnibus animantibus. Agit diversimodè & singulariter in unoquoque homine, indè sua unicuique est peculiaris temperies, sed dependenter à variâ liquorum crassi, texturâ, mole, quantitate, figurâ, fluiditate, à diversis laboribus, exercitiis, animi affectibus, aëris, loci discrimine, demum & præprimis à puerili institutione. In homine individuo aliquatenus distinguendæ sunt natura & temperies. Cognitu facilior Natura, difficilior temperies. A Naturâ inventio remedii, ejusdem à temperie applicatio. Hinc in hac incertior est Medicus, in illâ certior. Naturæ sufficit solidorum, promiscuique liquidi motus, postulat temperies solidi & liquidi perfectioris consortium. Temperies fructus est externarum impressionum quibuscum homines sunt *tales*, has patitur solidum, fluunt potissimum ab humoribus quorum quælibet virtus à solidis manat & proficiscitur, totaque iisdem redditur.

A>



II.

A Motu solidis impertito, ab illius in cunctis visceribus origine synchronicâ, ab ejusdem in singulis certâ, inæquali, optimè recipiente quantitate pender universa animalis œconomia. Corde fortius impellit Dura meninx, hæc & illud cæteris partibus moventur vehementius. An ideo primum mota? Num potius in motu prius cognita? Solida priusne fuerunt in motum acta quam fluida? Haud inutilis quæstio, mirum tamen quod nondum fuerit dirempta. Quod neque sensibus detegi, neque judicio probari potest, quod rationi præterea non repugnat, illud licet supponere. Syderum ortus & occasus regat materia subtilis, ipsi pondus elaterque aëris tribuantur, sui saltem imperii meta sit corpus animale quodcunque. In mineralibus terra conditis, mixtisve, dissolutis, combustis, effervescentia, ebullitio, fermentatio, depuratio, præcipitatio elucescant, in animantibus conspiciuntur nunquam, nisi turbet aut brevè corruiat sit ipsorum sanitas. Unicuique corporum speciei si non semper dispare effectus, dispar & singularis operationum causa. Villus oscillans corporis animalis rex. Fibrae motum servant diutius, communicant citius, cur non acceperint prius? Demonstratur illius suppositi ratio, postulativè æquitas, à summi conditoris cuncti potentiâ, à pari solidorum & fluidorum accipiendi motus facilitate, à solidorum perenniori motu, ab evidentiori per solida mota sanitatis cognitione, à morborum certiori curatione.

III.

QUIDQUID toti coheret communique vinculo nectitur illud est pars corporis humani. Vera, & vetusta definitio. An humores inde non erunt partes? Sed sunt functionibus absolute necessariis, alimentorum conversioni inserviunt, nutritioni prosunt, solida reparant, fibrarum tonum & elaterem servant. Absque aëre nec respiratio fieret, nec sanguis pulmonum subire posset vascularem substantiam; absque humoribus haud vigeret œconomia animalis, ast ut aër non est pulmonis pars, ita nec humores sunt corporis partes. Hi, sunt externa magis intus agentia, cæteris paribus se se rarius renovantia, intraque canales morantia diutius. Totus aër non expiratur, toti etiam non evacuantur humores, aliquod remanet utriusque corollarium. Humores fiunt, assumitur tantum ipsorum materies, idemne est aër in pulmone qui fuerat haustus? In utero matris feriatur infantis pulmo, fortè etiam feriantur aliarum secretionum organa. Humores saltem in embryone non eadem quantitatis ratione secernuntur, quàm in adulto. Cui bono igitur jecur elaborat bilem, succum suum fundit Pancreas, pluit ex lymphaticis ventriculi gastricus humor, saliva manat ex Parotidibus? Horum ce liquorum maxima virtus. Succum nutritium nec efficiunt nec perficiunt, sed ejusdem circuitum, quantitatem, applicationem moderantur. Si turgeat Cathartorum instar illum eliminant, si ut retineatur majorem fibrarum po-

3

Aulet Systolem, hanc excitant veluti condimenta villos vellicando. Sed vellicatum vellicante potentius est.

IV.

EX odore, sapore, coloribus humorum male judicatur necessariam esse fermentationem. Sunt fermentabilia, nulla fermentata. Evincit supremum solidorum robur. Medicamenta regit, explicat & ciet. Venena movet, patitur, rejicit aut mutat. Imminutum restituit motum Gymnastice, nunquam reparat omnino perditum. Animi pathemata intendunt eundem, adaugendo tollunt, nunquam largiuntur. Oculis occurrat quidpiam gratiis in fronte decentioribus ornati, non tanger, non alliciet, non perceller, non irritabit organum molle, hebes aut plumbeum. Derivandus in attonitis videtur humor & ad partes à cerebro diffitas ducendus, cauterio, vesicatoriis determinatur, laxiorem ipsi & faciliorem parant viam cucurbitulæ, frustranei Medicorum conatus, si sine auxilio supervenerit paralytis. Si parti syderatæ applicentur ista instrumenta, lignum inuritur, ad oleum tunduntur lateres, nulla fit ex arte metastasis: in apoplexiâ quibusdamque morbis convulsivis à turgido sanguine ortis, primo insultu propinatur Stibium in ventriculo iners est, sicce cespitat. Altera suadetur & acrior dosis nequicquam ingurgitur. Ex tónica affectione immobilis est stomachus, tollitur ista distensio sanguinis missionis ope, hanc sæpissime excipit optatus oriantis emetici effectus. Acris alvina colluvies ad exitum sibi met non sufficit, acriores injiciuntur clysteres, retinetur nusquam educenda, nisi diluentium usu mitescat erethismus, aut venæ sectione sanguinis pondus imminuente, nativa intestinis restituatur peristaltica oscillatio. Similis est humorum intus contentorum actio mechanica ac medicamentorum. Quò lenior est externorum virtus, eò debet esse solidorum integra magis energia. Sic humores utpote mitiores, partibus levigatis, tenuibus, progrediendo activis constantes, vegetiorem postulant fibrarum elaterem.

V.

ET bene fuit humano generi consultum, cum ipsi datum est intus aliquod, quo nihil ad ipsius productionem, nutritionem aut quassibet alias functiones accederet nisi illius innatæ virtuti subditum & obtemperans; si aliter factum fuisset non nasceretur homo, vel natus moreretur brevi. An tenella embryonis stamina, spiritus fecundantis impetui sustinendo paria sunt? An tenuissima adulti capillamenta acidorum & alkalinorum pugnas ferre possunt? An ista vascula sufficientem campum præbere queunt sine suimet ipsius compagis divulsione ac rupturâ. Sint acida & alkalina necne, inter se non dimicant quandiu solidorum vibrationi indefinente oscillationi submittuntur. Robur istud creatoris proprium & singulare munus, molliori vitâ haud debilitandum, nec terendum immodicâ Venere, labore vehementiori, vino malignè

4

nutriente. At inquierent nonnulli inaudita, nova, vulgari Physicorum sententia refragantia huc referuntur. Quid inde? si vera sint. Sentiant aliter quamplurimi, licet & fas est, si sapientiores. Ex iis principiis inconcussa magis, aucta & conspicua fiet vetus medendi ratio, cur hæc non essent eligenda potius? nec ita ab antiquorum Medicorum opinionibus aliena sunt, non malè consonant si utraque ritè intelligantur, si absque præjudicio conferantur. Jam dudum notum est, sed recenter demonstratum,

Ergo solida agunt ut agantur.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes-Franciscus Giot.	M. Petrus-Antonius Lepy.	M. Salvator Cuscard.
M. Franciscus-Antonius Le	M. Elias Col de Vilar.	M. Claudius du Cerf.
Dran.		
M. Antonius Le Moine.	M. Henricus Besnier.	M. Claudius Vergne.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS DUVRAC, Rothomagensis,
Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1722. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.